



7  
S. angel. St.

WITTEBERGA

# TRIUMPHANS

*Seu*  
EPOS PROSPHONETICUM

*Quo*  
Viro admodum Reverendo, Amplissimo,  
atq; Excellentissimo

DN. JOHANNI MEISNERO

SS. Theol. D. Ejusdemq; in inclutâ  
Leucoreâ Professori Publ.

Domino Praeceptori & Patrono suo singulari observantiâ  
*venerando*

De Doctoralibus honoribus & privilegiis,  
à perquam venerando Facultatis Theologicae Collegio,  
Athenis Albiacis, prid. Id. Novembr. An. cl. Isc L. solenni-  
ter ipsi collatis

*gratulatur*

MATTHIAS WASMUTH

Chilonio-Holfatus, SS. Theol.  
Stud.

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

**E**ucori, quæ Senonum non ultima gloria gentis,  
 Albidos assurgis taurini ad cornua vultus,  
 Albaniq; domas longo juga lactea dorso,  
 Myfi ò honos & ocelle soli, cui regia Nerei  
 Czechiadum famulatur aquis, & Patris Elystri;  
 Ingeniis fœcunda virum, Clariusq; palæstris,  
 Et tot Palladiis pridem laudata triumphis:  
 Si Cyrrhæ ò unquam lassavit numine colles  
 Patrima virgo tuos, Tyriæ aut meruere tiaræ  
 Sumi cum trabeis, fascesq; à poste refigi;  
 Hunc sacrum tibi crede diem, Thetyosq; lapillis  
 Scribito Erythræis, tibi quò Clariosq; curules,  
 Tot procerumq; choros, vittata ad limina Divum,  
 Commendat Cæli favor, & magis aureus orbi  
 Exardet Myso Titan, non astra labores  
 Accipiunt ullos, tristēsve ostendere terris  
 Nunc lieuit vultus, non funera mœsta Caystri  
 Cantat olor, damnat gelidos Saturnus & ignes,  
 Et geniis fatale jubar, non Scorpius orbem.  
 Nunc caudâ pejore ferit, miratur inermem.  
 Orion dextram, dum plausibus undiq; festis,  
 Arrident Superis habitatæ mentibus arces.  
 Si Venetum spectasse Patres, ostròq; potentum,  
 Legisse ora Virum, fixisse vel oscula sceptris,  
 Laus fuit, & meminisse iuvat, si carmine festo  
 Personuit Latium, Capitoli ad limina sistens  
 Scipiadas, victisq; patrem ter dixit Achivis  
 Æmilium, cuneiq; fremunt, seu Mallius annum.  
 Consul init, spoliis seu lautus Honorius Istri,  
 Sive Probino undant trabeæ, einctusq; Gabini,  
 Cognatiq; unâ fasces sociantur Olybri:  
 Nec Te nunc ignavus amor, vel seignior illò  
 Degeneri pietate, calor, residēsve Camænæ,  
 Leucorea alma decent, cui tot datur ordine docta,  
 Ire per ora virum, transcriptaq; pectora Cœlis,  
 Tot lectasq; animas, queis jam delubra Minervæ  
 Pandis, & ad summos clamas mox pilea honores.  
 Quin, cui multorum testis præclara laborum,  
 Sperasti æternis pridem succingere ramis  
 Tempora, & Aoniæ contexere brachia Daphnes;

En

En lætam tibi fert frontem venerabile Cœli  
Depositum, Argelicis MAGNUS MEISNERUS ab oris;  
Qui, cum Castaliis prolutus largiis undis,  
Parturiat cunctas fœcundo pectore Musas,  
Perq; augusta potens clueat subsellia Mystes;  
Ter patriæ laus est, ter amor stellantis Olympi,  
Ter dignus superas qui radat vertice flammæ.

Salve ingens Cœli donum, spes inclyta seclæ,  
Auditum longè nomen mihi, dulce tuorum  
Delicium, gentisq; decus; Tibi laudis & artis  
Ingredior numeros, sacrosq; ab origine fontes.  
Ast mihi non plectris multum lassata Pelasgis  
Nomina nunc horter, poscamve Heliconæ Sorores  
Ipse veni, facilisq; meis nunc annue cœptis,  
Felixq; orsa juves (nec enim sine numine tanta  
Cantari cortina volet) si Cyrrha liquores,  
Dedignata sitim, neget, en mihi largior ex Te  
Haustus, & in numeros repietur castior amnis.  
Quamvis haut sperem tantum nomenq; decusq;  
Pieriis æquare modis; non si abluat omni  
Phœmonoë fonte, & nascenti conscia vati  
Pyrene, & totus madeam Permesside lymphæ,  
Hoc valeam, tantò nec stet sub pondere cervix.  
Lactea adhuc tenero properata est artibus ætas,  
Et sapuit de matre recens; tunc imbibit omnes  
Ingenium Clariò rorantes fonte liquores,  
Orbilii placidis certans parere lupatis.  
Tunc linguæ Latialis honos, Grajumq; lepores,  
Lassarunt crebros Tibi anhelo pulvere Soles.  
Tunc Arpinatis Tibi lecta est gratia Suadæ,  
Umberq; in focco, tum Pœnus, & ille quis alter,  
Umbram contriti culicis qui cantat, & artes  
Fallaces Dolopum, perjuriq; ausa Sinonis:  
Nec non Mæonides & acuto Pindarus æstro,  
Et Sículus gracili tenuat quod carmen avenâ  
Quiq; Deum memorat thalamos, operumq; labores  
Tum quicquid Latium pulcri, vel prodidit Hellas,  
Omnia ea hausta Tibi. Sic quondam interrita duris,  
Omne adiit mundi virtus iter, impulit ultrò  
Iliacas Geticasq; domos, prædasq; nivalis

Stymphali, & Argolicos fregerunt brachia remos,  
Et quâ quisq; furor, crescentes transtulit iras:  
Non aliter, seu prima levârit Cynthus ora,  
Seu Veneris niveæ præfederit Hesperus aulae,  
Te Tuus urit amor, Phocæaq; culmina scandis.  
Nunc Tibi prisca suos dictavit pagina Reges,  
Victorisq; dies populi, Mavortiaq; arma.  
Quas hostis Latio Pœnas ostenderit artes,  
Ticinô Cannisq; ruens, tum quæ iuga mundi  
Eruerit cuneis, acri lacerata liquore.  
Tum quem civilem biberint Sullana cruorem,  
Arma, & qui impulerint Marium Cinnamq; furores,  
Par lectumq; Ducum, dum sanguine Pharsalus omnis,  
Æmoniiq; atrâ complentur cæde Philippi,  
Nunc vario clausas quæ signant littore gentes,  
Eerrasti in foliis, patriô longè exul in orbe,  
Scrutatus Siculos æstus, abruptaq; Scyllæ,  
Ægæasq; hyemes, tum quo flammatus amore,  
Alpheus Trinacriæ proleçtet ad oscula Nain,  
Jamq; omnes Erycis fines: quo scissa profundo,  
Brutia Sicanium circâ premat ora Pelorum,  
Æoliasq; domos; Catanæ quæ rura notarit  
In patres pietas, quo cantu concitet altus  
Fontis Halefini vocales alveus undas,  
Et Palice diris taxet perjuriam lymphis.  
Nunc legisti oras, quâ se Tartessia tellus,  
Herculeis cognata viis, atq; ultima Calpe  
Prodit, & in Vahalin Rhenumq; armatus Iberus  
Seraq; Pyrene, legem frænumq; furoris,  
A Belga victore tulit; nunc corniger Ammon  
Quâ tostæ steriles Lybiæ detexit arenas,  
Maurorumq; truces lucos, zonâq; sub omni  
Isti per populos æternaq; nomina fastis.  
Hinc jam Socraticis pridem mens dedita curis.  
Pythagoræq; hærens monitis, per compita prisca  
Incessit Sophies, volvitq; abstracta Platoni  
Semina formarum summos agitata per orbes:  
Tum Stoam Zenone gravem, quemq; alta Vesevi  
Fax sorpsit Mystam: Tum si quæ commata Divi  
Enthea mens Thomæ dictat, vel inhospita Scoto

Tecta,

Tecta, & quæ claro sunt docta reperta Toletō.  
Hinc in tot rerumq; fidem, legesq; perennes,  
Juraq; Naturæ inquiris, penitosq; recessus:  
Quâ sorte & firmô fatorum foedere perstet  
Orbis, & unde suas arcessant singula causas.  
Jamq; salutatos astrorum colligis orbis,  
Hospes Cœlicolûm, mentemq; ascriptus Olympo;  
Cum mirâre, polis quàm nullo errore ferantur  
Errantes septem, quantus sine flumine Nilus,  
Erret Agenorii camurâ sub fronte juvenci,  
Donet & Orion spectandum gentibus ensem,  
Et toti simul arma polo; pretiumq; caloris  
Oebalii niveos ostendet myrtilus ignes;  
Quàm clavæ robur, pellesq; Libystidos ursæ  
Engonasin monstrant, Helicæq; per Arctica regna,  
Parrhasiæ tardi famuletur cura Bootæ.  
Tot meritis Clarios pridem lucratus honores,  
Donasti æternæ studiis solatia famæ.  
Nam neq; præclaras unquam sua præmia mentes  
Destituunt, nec te spes est frustrata brabei,  
Docta magistrali redimitum tempora lauru,  
A Phœbo Musisq; novem. Nec finibus hisce  
Æthereæ steterat menti calor, arsit & orbem  
Non notum, atq; alibi peregrinos discere Soles.  
Nunc ergò ad Batavûm nascentes littore Musas  
Atq; Mosæ & Vahalîs Te ditia culta tulisti:  
Quâ Vesta in medias Nerei raptata paludes,  
Tot frenat claustris constrictam compede Thetyn,  
Atq; Arausiaco littus custode tuetur.  
Nunc Gesoriacô Morinûm de littore, raucum  
Legisti Tamesin Trinoantum, ubi Jernica sceptrâ  
Regibus haut sunt æqua suis, & fata gemiscit  
Rectoris Sabrina sui, longeq; Tuæda,  
Ultricesq; fremit Pictorum Grampius iras.  
Nunc claros Druidis Celtas, quorum abluit ora  
Sequana, vidisti; quâ quondam perfida Cypris  
Funera Collinii merisit, cædesq; Dynastûm,  
Alteraq; ostendit redivivus fercla Thyestes.  
At peregrè ut vixisse satis, nec temporis ultra  
Exul amas spoliū, prisco revocata labori

Theologie,

Theologie, vigilesq; pio de Numine curæ,  
Dulce opus, & sanctis data sunt præcordia flammis.  
Quotquot se foliis numerant oracula sacris,  
Perq; viros serie bisenâ, perq; Prophetas,  
Jesæosq; modos, ea docti pectoris haurit  
Acre sophos, calamoq; & iusti fulmine Zeli  
Asserit, immensumq; piè propugnat Olympum.  
Nunc Lutheriadæ servans vestigia clavæ,  
Elidis Caci Latialis tristia monstra  
Quicquid Romuleas redimant latratibus offas.  
Tum quæ calva cohors affert in crimina Numen,  
Aut aliis malè confutæ, quodcunq; probatur  
Relligionis opus; doctis rationibus urges,  
Nunc Superum interpres, media inter numina Divum.  
Pulpita voce pre mis, purâq; in veste Sacerdos  
Monstras fatales epulas, præmansaq; Averna,  
Ad placitum ferale gulæ; quo tempore primùm  
Imbibimus partem sceleris, funestaq; lethi  
Vidimus auspicia, & rigidæ suffragia legis;  
Tum quæ præstiterit miseris vadimonia terris,  
Isacidum de gente Nepos, dum parturit æther,  
Descenditq; Deus patrii monstrator Olympi,  
Divinæ rapiens Nemese, quod merlerat orco,  
Damnatum sub lege caput, quas profuit orbi,  
Tunc pœnas sensisse vadem. Sic dum enthea iuris  
Sensa sacri, chartasq; pias, monumentaq; Patrum,  
Ingenio famulans aperit labor, unicè ocellus  
Audis Eusebies, & sacræ gloria Peithus.

Ergò erat illa dies Phœbo promissa voluptas,  
Et narrata diu viderunt præmia Musæ;  
Cum Cœli MEISNERE decus, procedere primis  
Cerneris ordinibus, celsâ ostentante curuli,  
Quantum hinc è terris subvectet in æthera fidus:  
Nam licet augustos collecta modestia vultus,  
Castigans multum demat, tamen ore renident,  
Dissimulatus honos, & sanctæ flamina mentis.  
Syrmata longa togæ, quamvis florente juventâ,  
(Quippe ea bis ternis vix dum orsa excedere lustris)  
Principibus concessa viris Tibi nomina reddi  
Monstrant: Pegaseo Phœbus stipatus honore,

Carmina




Carmina festa fremit, mox pollice callidus acri,  
Barbiton increpuit, tremulis cum fluctibus amnes  
Hic Aganippæi, sancti hic ex ordine colles,  
Plaudunt. Jamq; lacris, Procerum comitante catervâ,  
Porticibus Te infers, seq; in subsellia passim  
Fundit honos atq; ordo omnis, quæsitâq; dantur  
Munera, cum Te inter gratos meruisse favores  
Pilea, & Eois digitos incendere gemmis,  
Vidimus, & chartas DOCTOREM tangere sacras.  
Tum verò plenis fervet Tua fama theatris  
Jam Mylûm communis amor, jam diceris ingens  
Spes votumq; poli, de Te miracula quisq;  
Colligit, ad longos lassando lumina visus.  
Quin facer horror agit delubra, atq; altior aris  
Flammarum mox scandit honos, & numine multo  
Templa fremunt adytis, Divûm festôq; nitore  
Colluxêre lares: nec amicis excidit astris,  
Quem patriæ commendat amor, dum gaudia Titan  
Ex pandit meliore comâ, purum æthera circum  
Collustrans radiis, Boreamq; invitat ab Arcto,  
Haut secus ac Grajæ fervoribus Orithyæ  
Ter tractus suaderet amor, factôq; serenô,  
In plausus coiêre poli, coneλxaq; Divûm.  
Accepit sonitus refluus Pater Albis in undis,  
Arrectæq; hæserè aures, crinalis arundo  
Vertice, & argutâ se barba repexerat algâ;  
Cum vitreis scandens thalamis, atq; arbore fultus  
Acclines humeros, rigo sic provocat ore:  
Nymphæ, Naiades Nymphæ, Clymeneq;, Hyaleq;,  
Cymodoce, Drymoq;, & vos, gens cætera, Divæ.  
Præcípites properate vadis, præcingere molli  
Queis amor est gyro ripas, ac sternere fontes:  
Et partite vices, violis prætexite littus  
Hic pars, atq; alibi genèrosi graminis umbrâ:  
Pars nova ferta legens, manibus date lilia plenis,  
Phocæis allata jugis, sedilia vivis  
Pars properans saxis, inducite fontibus umbras,  
Tritonq; Albiacam conchâ circumtonet urbem;  
Dum meritis, prtrio proles contermina cœlo  
Præmia MEISNERUS monstret, dignosq; triumphos.

Dixerat. Albani cùm verba novissima colles,  
 Trans Chaucosq; , & Cervetios, ripasq; Chalusi,  
 Assensu nemorum rapuêrunt verbere crudo.  
 Urbs jacet in Varinis, Cymbrosq; Sinumq; Codanum,  
 Contra, dives opum, viribus tectisq; superba,  
 Gambrivii coluère Viri, nunc fama minores  
 LUBECUM dixisse, Henetâ de voce coronam.  
 Hùc postquam celeri se accinxit fama volatu,  
 Rumoresq; dedit tantarum gloria rerum,  
 Hæmodes, & bimaris mox Nordalbingia circùm,  
 Eidoraq; unâ & Trava Pater, Vachnesus, & omnis  
 Cymbria crispata fremuerunt vota per auras.  
 Quis mihi tot plausus inter, pompasq; , chorosq; ,  
 Sit curæ votiq; locus! Sed post Hecatomben,  
 Sæpè Diis tenui placuerunt farra salino.  
 Qualis & Ægæô cùm solvens littore puppis,  
 Paulatim vincit servantia lumina longè,  
 In tenui multos ligno complexa timores;  
 Si qua fortè minor sequitur post terga phaselus,  
 Invasitq; vias, fluctus pro parte furentes  
 Frangit, & indomiti partem sibi vindicat Austri.  
 Tale myricæ humiles, laudum levis umbra tuarum,  
 Vota decusq; Tuo musare audimur honori.  
 Nectant nunc lætæ glomerantia fila Sorores,  
 Nectant, nec teretes frustrentur stamina fusi,  
 At Numen (nam sæpè animas audire minores  
 Dicitur) indigetem Cæli si sydera poscant,  
 Serò hanc progeniem reddat natalibus astris.







**E**ucori, quæ Senonum non ultima gloria gentis,  
 Albidos affurgis taurini ad cornua vultus,  
 Albaniq; domas longo juga lactea dorso,  
 Myfi ò honos & ocelle foli, cui regia Nerei  
 Czechiadum famularumque & Parris Elystri;  
 Ingeniis fœcundis  
 Et tot Palladii  
 Si Cyrrhæ ò u  
 Patrima virgo  
 Sumi cum tra  
 Hunc sacrum  
 Scribito Eryth  
 Tot procerum  
 Commendat  
 Exardet Myso  
 Accipiunt ull  
 Nunc lieuit vu  
 Cantat olor, d  
 Et geniis fatale  
 Nunc caudâ p  
 Orion dextra  
 Arrident Supe  
 Si Venetum sp  
 Legisse ora Vir  
 Laus fuit, & me  
 Personuit Lati  
 Scipiadas, vict  
 Æmilium, cun  
 Consul init, sp  
 Sive Probino v  
 Cognatiq; unâ  
 Nec Te nunc ig  
 Degeneri pieta  
 Leucorea alma  
 Ire per ora viru  
 Tot lectasq; an  
 Pandis, & ad summos ciamas mox ptea nonores.  
 Quin, cui multorum testis præclara laborum,  
 Sperasti æternis pridem succingere ramis  
 Tempora, & Aoniæ contexere brachia Daphnes;



En

